Fortitudo mea et laus mea dominus: et factus est mihi in salutem. Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum. Dextera domini fecit virtutem: dextera domini exaltavit me, dextera domini fecit virtutem. Non moriar sed vivam: et narrabo opera domini. Castigans castigavit me dominus: et morti non tradidit me. Aperite mihi portas iustitiae, ingressus in eas confitebor domino: haec porta domini, iusti intrabunt in eam. Confitebor tibi quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem. Lapidem quem reprobaverunt aedificantes: hic factus est in caput anguli. A domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris. Haec est dies quam fecit dominus: exultemus et laetemur in ea. O domine salvum me fac, o domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine domini. Benediximus vobis de domo domini: deus dominus et illuxit nobis. Constituite diem sollemnem in condensis: usque ad cornu altaris. Deus meus es tu et confitebor tibi: deus meus es tu et exaltabo te. Confitebor tibi quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem. Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

Beati immaculati in via: qui ambulant in lege domini. Beati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum. Non enim qui operantur iniquitatem: in viis eius ambulaverunt. Tu mandasti: mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur viae meae: ad custodiendas iustificationes tuas. Tunc non confundar: cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici iudicia iustitiae tuae. Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.

In quo corrigit adolescentior viam suam: in custodiendo sermones tuos. In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me a mandatis tuis. In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi. Benedictus es domine: doce me iustificationes tuas. In labiis meis pronuntiavi: omnia iudicia oris tui. In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus divitiis. In mandatis tuis exercebor: et considerabo vias tuas. In iustificationibus tuis meditabor: non obliviscar sermones tuos.

Retribue servo tuo, vivifica me: et custodiam sermones tuos. Revela oculos meos: et considerabo mirabilia de lege tua. Incola ego sum in terra: non abscondas a me mandata tua. Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Increpasti superbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis. Aufer a me opprobrium et contemptum: quia testimonia tua exquisivi. Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis. Nam et testimonia tua meditatio mea est: et consilium meum iustificationes tuae.

Adhaesit pavimento anima mea: vivifica me secundum

Barnfield, Richard, 1574–1627.
*Shepherdes Confession,* compiled ca. 1625.
V.a.161, cover.

Copyright © The Folger Shakespeare Library ®. All Rights Reserved. Classroom use is encouraged, as is use for personal research.
Single copies may be made for personal or noncommercial uses, provided they include copyright notice.

For information regarding permission to use images and/or text from the Folger collection for educational or commercial purposes, please contact us at photo@folger.edu.